



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Decisio XIII. Privilegium concessum militiae & hospitali, non suffragatur,  
hospitali subsistenti sine militia. Reverend. P.D. Manzanedo. Corduben.  
Decimarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

## DECISIO XIII.

Privilegium concessum militiae & hospitali, non suffragatur hospitali subsistenti sine militia.

Reverend. P. D. MANZANEDO.

Corduben. Decimarum.

Veneris 27. Aprilis 1617.

**D**omini perstiterunt in decisio, nempe privilegium Clementis VIII. non suffragari hospitali fratrum S. Joannis, cum emanaverit ad favorem militiae S. Lazari & Mauriti, ac hospitalium ab illa dependentium, quale non est. istud, quod legitur à dd. fratribus, & à dicta militia non dependet ex rationibus & fundamentis in decisione adductis.

Quibus visum non fuit obstare Bullam sel. record. Pii IV. in qua narrata origine hospitalitatis leproforum S. Lazari Hierosolymitani, & variis exemptionibus illi concessis, praesertim à Nicolao III. super exemptione decimarum discretive loquendo de hospitalitate, & militia, tandem confirmat omnes exemptiones illi concessas, & sic etiam exemptionem decimarum à Nicolao III. ratione solius hospitalitatis tributam. Quia ultra quod Pius IV. fuit contemplatus utrumque simul, nempe militiam & hospitalitatem, cum conjunctim de illis loquatur, ut ibi: nos igitur volentes hospitalitatem S. Lazari ejusque militiam ad miserabilium pauperum leproforum utilitatem, & contra piratarum & infidelium Christianae religionis invasiones instaurare & augete &c. & ibi: constitutionem & erectionem hospitalis & militiae hujusmodi &c. privilegia eisdem hospitali & militiae concessa approbamus &c. & rursus ibi: nec omnino aliquis ex hospitalis & militiae S. Lazari &c. decimas solvere teneatur.

Respondebatur Bullam Pii IV. de per se solam non esse attendendam, cum fuerit revocata per sanc. mem. Pium V. ut fuit in specie resolutum in hac causa 8. Martii 1610. coram R. P. D. meo Pamphilio & tanquam confirmatam per Clementem VIII. non suffragari hospitali, quia etiam admilla lecturâ partis adverte, quod loquatur discre.

discretivè de hospitali ac militia, tamen fuit confirmata unà cum aliis concessionibus Summorum Pontificum quoad hospitalia annexa militia, & ab ea dependentia, ex adductis in decisione, & ex his quæ hodie de novo ponderantur circa Breve, per informantes pro capitulo &c.

DECISIO XIV.

Decimæ non solvuntur à Religiosis de animalibus, horto & novalibus, & an leprosi exempti sint à solutione decimarum.

Reverend. P. D. MANZANEDO.

Corduben. Decimarum.

Luna 21. Maii 1617.

SUMMARIUM.

1. Decima non solvuntur de animalibus, hortis & novalibus, & de his quæ deserviunt pro usu Monasterii, & quæ à Religiosis propriis expensis continentur.
2. Leprosi communiter viventes, sunt exempti à decimis.
3. Privilegium concessum leprosis non extenditur ad hospitale, in quo curantur etiam alii infirmi præter leprosos.

Fuit in hac causa resolutum 23. Junii 1614. exceptis gregibus, horto, & expensis, sententias in hac causa latas esse in reliquis conformes, cum ad solvendas decimas gregum hospitale fuerit condemnatum solum per duas sententias Rotales, undè quoad dd. greges propositi dubium, an dictæ sententiæ essent confirmandæ vel infirmandæ? & Domini responderunt, quoad greges nutritos à fratribus pro usu hospitalis illas esse infirmandas, quoad alios verò confirmandas. Et movebantur, quia licet Religiosi, quales sunt hodie Fratres B. Joannis de Deo, admini-

G 2

Decis. 498  
par. 4.  
tom. 1. re-  
cent.